



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ  
Præcones**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadt, 1645**

§. 11. Cur tempestates aliquando parcant nocentibus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

ditatem ambientium, & insomniorum, & tormentorū liberat mors præcipitata? quæ etiā magno compendio, absoluit animas ad moriendum semper paratas. Nam quantis ea angoribus, quantis dæmonum machinationibus, quantis temptationum procellis filum incidit? Grata est mors mortem optantibus, si cito venit; & quò compendiosior; eò clementior. Solet etiam Deus malo dæmoni non rarò potestatem facere, vt grandines spargat, vt fulmina jaciat, vt nimbis, turbinibus, pruinis agros populetur. At tunc, quid mirū est, si dæmon innocentes vexet, & sibi seruientibus parcet, in stipendijs mercedem? Notum est, cur Iobum, igne de cælo cadente, exagitārit. voluit scilicet nocentem atque impatientem facere, ex innocentie: voluit Dei amicū exagitare. Deus autem voluit amici sui constantiā atq; fortitudinem toti mundo velut in theatrū producere. Neq; grande beneficium est, si malorum satis & pratis parcit humanæ gentis inimicus. Nunquam is parcit, nisi vt sœuiat.  
*Hostium dona, non sunt dona.*

§. X I.

*Cur tempestates aliquando parcant  
nocentibus?*

In

**Thom.** In prouincia Prouinciae, ait Episcopus pius,  
**Catiprat.** apud Lemonicas, tempore etatis nostra, Priore  
 lib. 1. cap.  
 17. §. 3. Fratrum Prædicatorum eiusdem ciuitatis nar-  
 rante, percepimus, tanta magnitudinis grandi-  
 nes occidisse, ut in urbibus, villis, atq; campe-  
 stribus tecta frangerentur, demolirentur vineæ,  
 fruges redigeretur in paleas, homines extrate-  
 ñta, volucres in agris, & pecora, necarentur.  
Qualiter autem his se immiscuerit sathanas,  
 breuiter audiamus. Vinearum custos, sub tu-  
 gurio in campestribus, imminentibus tempesta-  
 tibus latitabat, & audiuit clamantium voces,  
 in aëre: Caue Caue. Et aliis respondebat: quid  
 cauebo? Et primus. Vineam Petri Richardi  
 ne laseris. Sopita ergo postmodum tempestate,  
 sola vinea Petri Richardi immunis reperta est  
 à laesura. Erat autem Petrus Richardus (sic e-  
 enim binominis vocabatur) usurarius pessimus,  
 & obnoxius multis malis. Ex quo considerandū  
 est, quia, in comitatu spirituum nefandorum  
 amicos, immò potius inimicos, ut sanius loquar,  
 demones habuisset, qui ei bona sua, et si ad vita  
 solatum, tamen ad perpetuæ damnationis cu-  
 mulum, conservassent. Nōne huic auaro ma-  
 gis profuisset, oleum incendio demi, & fo-  
 mitem subduci cupiditati, & adeò, pati,  
 quām declinare tempestatem? Nō est opta-  
 bilis

bilis clementia parcere, vt sequantur atrociora. Calamitatis cauſā, hostis facit fortunatos. Sæpe grando contudit innocentis coloni ſegetē, vt patiētiam meteret; ſæpe viri dolosi vites noh verberauit, vt felicitate ſuā inebriaretur. Quod aēr, atq; ignis alijs quoque modis nō raro perpetrat. Siue ergo noceat, vtiliter potest nocere; siue faueat, potest fauere perniciosè. Immo siue fauere, siue nocere videatur, ſemper nocet ijs, apud quos virtus eſt in vinculis, ſcelus in folio; prodeſt illis, qui D E V M, in omni tempeſtate, venerantur.

§. X I I.

*Sanctorū meritis, ab igne intacta manere, qua  
alioqui flamma vorax abſumeret.*

Sæpe etiam, contra naturæ ſuæ indolem, vim ſuam exferere vetatur; vt ea non attingat, quæ Sancti attigerūt. Nam, vt Sigonius refert, cū in hospitio, in quo D. Germanus Antisiodorensis Episcopus, in Britannia æ. grotus iacebat, graue casu excitatum eſſet incendium; illud vehemētiū homines mouit, quòd, quæ acris hominum ſedulitas c. studiuerat, omnia vis ignis exhauiſ. quæ verò vir Sanctus tetigit, illa omnino flamma nō læſit. Habet nimirūm D̄vs cælestes

Sigon. II.  
12. Imp.  
Occid.

F quaf-